

agentem re ipsa non distingui a possibili, qui exercebat operationes suas, et ideo non potest illa potentia dici frustra, sicut potentia generandi, vel ridendi, quamvis in Christo non habuerint actus proprios, ut sub his nominibus concipiuntur et significantur (si verum est Christum nunquam risisse, ut significavit Basilius in regulis fusius disput., in 17), in re tamen non distinguuntur ab aliis quæ habuerunt actus suos, ut potentia generativa a nutritiva, et potentia risiva ab ipso appetitu et potentia motiva secundum locum. Tertio, neutrum horum est necessarium ut potentia aliqua non dicatur frustra esse, satis enim est quod ex natura sua sit conaturalis alicui formæ, et ad perfectum statum et integritatem naturæ requisita, licet ex accidenti contingat ut nunquam exerceat operationes, quia aliunde prævenitur. Quod maxime verum est quando talis operatio ad perfectionem simpliciter non pertinet, et effectus ejus potest aliunde melius suppleri.

14. Ad primam confirmationem jam responsum est, et explicatum quomodo sit major perfectio habuisse semper hanc scientiam, quam propriis actibus illam acquisivisse.

15. Ad secundam, negatur hinc sequi simulationem in actibus Christi infantis, nam vere habuit infantilia membra, et organa sensuum eo modo disposita quem illa ætas postulabat. Unde, quod erat ex parte virium humanæ naturæ, vere operabatur ut infans, quamvis supernaturali virtute posset operari ut vir.

16. Ad tertiam confirmationem respondetur primum, illud testimonium Luc. 2, a multis Patribus exponi eodem modo de scientia sicut de gratia, scilicet, de augmento quoad ostensionem et operationem, quos late citavimus supra, q. 7, circa a. 12 D. Thomæ. Secundo exponi potest juxta secundam conclusionem supra positam, juxta quam loquuntur Patres in eadem confirmatione citati.

### QUÆSTIO XIII.

DE POTENTIA ANIMÆ CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

*Deinde considerandum est de potentia animæ Christi. Et circa hoc quærentur quatuor.*

*Primo, utrum habuerit omnipotentiam simpliciter.*

*Secundo, utrum habuerit omnipotentiam respectu mutationis creaturarum.*

*Tertio, utrum habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.*

*Quarto, utrum habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis.*

In hac quæstione agit D. Thomas de potentia operativa, ut distinguitur ab intellectu et voluntate, et est facultas exterius operandi aliqua actione transeunti, et præsertim agit de potentia communicata Christi humanitati ad supernaturales actiones, quamvis de potentia naturali nonnihil attingat.

### ARTICULUS I.

*Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter<sup>1</sup>.*

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur quod anima Christi habuerit omnipotentiam. Dicit enim Amb. 2 super Lucam: Potentiam, quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus. Sed hoc præcipue videtur esse secundum animam, quæ est potior pars hominis. Cum ergo Filius Dei ab æterno omnipotentiam habuerit, videtur quod anima Christi ex tempore omnipotentiam acceperit.*

2. *Præterea, sicut potentia Dei est infinita, ita etiam et ejus scientia. Sed anima Christi habet omnium scientiam, quæ scit Deus, quodam modo, ut supra dictum est<sup>2</sup>. Ergo etiam habet omnium potentiam, et ita est omnipotens.*

3. *Præterea, anima Christi habet omnem scientiam. Sed scientiarum quædam est practica, quædam speculativa. Ergo habet eorum, quæ scit, scientiam practicam, ut, scilicet, sciat facere ea quæ scit. Et sic videtur quod omnia facere possit.*

*Sed contra, illud, quod est proprium Dei, non potest alicui creaturæ convenire. Sed proprium est Dei esse omnipotentem, secundum illud Exodi 15: Iste est Deus meus, et glorificabo eum. Et postea subditur: Omnipotens nomen ejus. Ergo anima Christi, cum sit creatura, non habet omnipotentiam.*

*Respondeo dicendum quod, sicut supra dictum est<sup>4</sup>, in mysterio incarnationis ita facta*

<sup>1</sup> Inf., a. 3 hujus q., et q. 21, a. 1, ad 1; et 1, d. 3, q. 1, a. 2, q. 2, et 3, d. 14, a. 4.

<sup>2</sup> Glos. ord. id habet ex Ambr., Luc. 4, super illud *Hic erit magnus.*

<sup>3</sup> Q. 10, a. 2.

<sup>4</sup> Q. 2, a. 1.

*est unio in persona, quod tamen remansit distinctio naturarum, utraque, scilicet, natura retinente id quod sibi est proprium. Potentia autem activa cujuslibet rei sequitur formam ipsius, quæ est principium agendi. Forma autem vel est ipsa natura rei, sicut in simplicibus, vel est constituens ipsam rei naturam, in his, scilicet, quæ sunt composita ex materia et forma. Unde manifestum est quod potentia activa cujuslibet rei consequitur naturam ipsius. Et per hunc modum omnipotentia consequenter se habet ad divinam naturam. Quia enim natura divina est ipsum esse Dei incircumscriptum (ut patet per Dion., 5 c. de Div. nom.<sup>1</sup>), inde est quod habet potentiam activam respectu omnium quæ possunt habere rationem entis, quod est habere omnipotentiam. Sicut et quælibet alia res habet potentiam activam respectu eorum ad quæ se extendit perfectio suæ naturæ; sicut calidum ad calefaciendum. Cum igitur anima Christi sit pars humanæ naturæ, impossibile est quod omnipotentiam habeat.*

*Ad primum ergo dicendum, quod homo acceperit ex tempore omnipotentiam quam Filius Dei habuit ab æterno, per ipsam unionem personæ; ex qua factum est ut, sicut homo dicitur Deus, ita dicatur omnipotens. Non quasi sit alia omnipotentia hominis quam Filii Dei, sicut nec alia deitas, sed eo quod est una persona Dei et hominis.*

*Ad secundum dicendum, quod alia ratio est de scientia, et de potentia activa, sicut quidam dicunt. Nam potentia activa consequitur ipsam naturam rei, eo quod actio consideratur ut egrediens ab agente; scientia autem non semper habetur per ipsam essentiam, vel formam scientis, sed potest haberi per assimilationem scientis ad res scitas, secundum similitudines susceptas. Sed hæc ratio non videtur sufficere, quia, sicut aliquis potest cognoscere per similitudinem susceptam ab alio, ita etiam potest agere per formam ab alio susceptam, sicut aqua vel ferrum calefacit per calorem susceptum ab igne. Non ergo per hoc prohibetur quin, sicut anima Christi per similitudines omnium rerum sibi a Deo inditas potest omnia cognoscere, ita per easdem similitudines possit facere.*

*Est igitur ulterius considerandum, quod id, quod a superiori natura in inferiori recipitur, habetur per inferiorem modum; non enim calor in eadem perfectione et virtute recipitur ab aqua, quæ est in igne. Quia igitur anima Christi inferioris naturæ est quam natura divina, similitudines rerum non recipiuntur in ipsa anima Christi, secundum eandem perfectionem et virtutem, secundum quam sunt in natura divina. Et inde est quod scientia animæ Christi est inferior scientia divina, quantum ad modum cognoscendi, quia Deus perfectius cognoscit res quam anima Christi, et quantum etiam ad numerum scitorum, quia anima Christi non cognoscit omnia quæ Deus potest facere, quæ tamen Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiæ; licet cognoscat omnia præsentia, præterita et futura, quæ Deus cognoscit scientia visionis. Et similiter similitudines rerum, animæ Christi inditæ, non adæquant virtutem divinam in agendo, ut, scilicet, possint omnia agere quæ Deus potest, vel etiam eo modo agere, sicut Deus agit, qui agit infinita virtute, cujus creatura non est capax. Nulla autem res est ad cujus cognitionem aliquam habendam requiratur virtus infinita, licet aliquis modus cognoscendi sit virtutis infinitæ; quædam tamen sunt quæ non possunt fieri nisi a virtute infinita, sicut creatio et alia hujusmodi; ut patet ex his quæ in prima parte dicta sunt<sup>2</sup>. Et ideo anima Christi (quæ, cum sit creatura, est virtutis finitæ) potest quidem omnia cognoscere, sed non per omnem modum; non autem potest omnia facere, quod pertinet ad rationem omnipotentis. Et inter cætera manifestum est quod non potest creare ipsam.*

*Ad tertium dicendum, quod anima Christi habuit et scientiam practicam, et speculativam; non tamen oportet quod omnium illorum habeat scientiam practicam, quorum habuit scientiam speculativam. Ad scientiam enim speculativam habendam sufficit sola conformitas, vel assimilatio scientis ad rem scitam; ad scientiam autem practicam requiritur quod formæ rerum, quæ sunt in intellectu, sint factivæ. Plus autem est habere formam et imprimere formam habitam in alterum, quam solum habere formam; sicut plus est lucere et illuminare, quam solum lucere. Et inde est quod anima Christi habet quidem speculativam scientiam creandi (scit enim qualiter Deus creat), sed non habet hujus rei scientiam practicam, quia non habet scientiam creationis factivam.*

### COMMENTARIUS.

1. Negat D. Thomas omnipotentiam potuisse humanæ naturæ communicari, quia est

<sup>1</sup> Ante medium.

proprietas naturæ divinæ, et per unionem non est facta naturarum confusio, sed utraque natura suas proprietates retinuit. Et tota littera et sententia D. Thomæ clara est.

2. Solum est notanda solutio ad secundum, in qua Div. Thomas explicat convenientiam et differentiam inter divinam scientiam et omnipotentiam, ex quarum comparatione argumentum procedebat, assumendo totam divinam scientiam esse communicatam naturæ humanæ, et inde inferendo esse communicatam omnipotentiam. Respondet autem D. Thomas negando assumptionem, in hoc enim scientia et potentia divina conveniunt, quod neutra potuit communicari naturæ creatæ secundum totam perfectionem quam in Deo habet. Addit vero differentiam inter eas, scilicet, scientiam aliquarum rerum posse communicari naturæ creatæ, ad quas efficiendas non potest communicari potentia. Exemplum ponit D. Thomas in creatione, quod saltem in creatione sui ipsius est indubitatum, potuit enim humanitati Christi communicari scientia creationis suæ, non tamen potentia. Cujus ratio redditur a D. Thoma, quia ad cognoscendum aliquo modo aliquam rem non requiritur virtus infinita; at vero ad efficiendum aliquid, verbi gratia, ad creandum, requiritur virtus infinita. Quæ ratio difficultatem habet; sed eam omitto, quia ad materiam de creatione pertinet; ad summum enim probat de virtute principali creandi, non de instrumentaria. De propria vero creatione sui ipsius evidentior ratio redditur, quia productio rei simpliciter supponit necessario ipsum non esse rei tanquam terminum a quo; potestas vero creandi, quæcunque illa sit, supponit rem, habentem talem potestatem, habere etiam esse, et ideo implicationem involvit alicui communicari potestatem creandi se ipsum; tamen scientia rei et productionis ejus non supponit rem illam non esse, et ideo potest aliquis scire se ipsum, aut suam creationem, non tamen potest illam facere. Adde, ad cognoscendam rem, satis esse participare aliquam similitudinem intentionalem, vel lumen. Nam per cognitionem quasi extrinsece attingitur objectum cognitum; at vero ad producendam rem requiritur virtus quæ valeat ipsum esse illi conferre: ex quo fit ut possit creatura accipere scientiam, non solum earum rerum quas producere non potest, sed etiam ipsius Dei.

## ARTICULUS II.

*Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.*

1. *Ad secundum sic proceditur. Videtur quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Dicit enim ipse, Matthæi ult. : Data est mihi omnis potestas in celo et in terra. Sed nomine cæli et terræ intelligitur omnis creatura, ut patet, cum dicitur Genes. 1: In principio creavit Deus cælum et terram. Ergo videtur quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.*

2. *Præterea, anima Christi est perfectior qualibet creatura; sed qualibet creatura potest moveri ab aliqua creatura; dicit enim Augustinus in 3 de Trinit. 1, quod, sicut corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitæ, et spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem, et spiritus vitæ rationalis desertor atque peccator per spiritum vitæ rationalem pium et justum. Anima autem Christi etiam ipsos supremos spiritus movet, illuminando eos, ut dicit Dionysius, c. 7 Cæl. hier. 2. Ergo videtur quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.*

3. *Præterea, anima Christi habuit plenissime gratiam miraculorum seu virtutum, sicut et ceteras gratias; sed omnis immutatio creaturæ potest ad gratiam miraculorum pertinere, cum etiam miraculose cælestia corpora a suo ordine immutata fuerint, sicut Dionysius probat in Epistola ad Polycarpum 3. Ergo anima Christi habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.*

*Sed contra est, quod ejusdem est, transmutare creaturas, cujus est eas conservare. Sed hoc est solius Dei, secundum illud Hebr. 1: Portans omnia verbo virtutis suæ. Ergo solius Dei est habere omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Non ergo hoc convenit animæ Christi.*

*Respondeo dicendum, quod hic duplici distinctione est opus. Quarum prima est ex parte transmutationis creaturarum, quæ triplex est. Una quidem est naturalis, quæ, scilicet, fit a*

<sup>1</sup> C. 4, non procul a princ., tom. 2.

<sup>2</sup> Post med.

<sup>3</sup> Per totam epistolam.

*proprio agente, secundum ordinem naturæ. Alia vero est miraculosa, quæ fit ab agente supernaturali, supra consuetum ordinem et cursum naturæ, sicut resuscitatio mortuorum. Tertia autem est, secundum quod omnis creatura vertibilis est in nihil. Secunda autem distinctio est accipienda ex parte animæ Christi, quæ dupliciter considerari potest. Uno modo secundum propriam naturam et virtutem, sive naturalem, sive gratuitam; alio modo, prout est instrumentum Verbi Dei, sibi personaliter uniti. Si ergo loquamur de anima Christi secundum propriam naturam et virtutem, sive naturalem, sive gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui sunt animæ convenientes; puta, ad gubernandum corpus et ad disponendos humanos actus, et etiam ad illuminandum per gratiæ et scientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales ab ejus perfectione deficientes, per modum quo hoc est conveniens creaturæ rationali. Si autem loquamur de anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad incarnationis finem, qui est instaurare omnia, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt. Immutationes vero creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi rerum, prout, scilicet producuntur ex nihilo. Et ideo sic solus Deus potest creaturas in nihilum redigere, qui etiam solus eas in esse conservat, ne in nihilum decidant; sic ergo dicendum est, quod anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.*

*Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Hieronymus dicit 1, illi potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurrexit, id est, Christo, secundum quod homo. Dicitur autem sibi omnis potestas data, ratione unionis, per quam factum est ut homo esset omnipotens, ut supra dictum est 2. Et quamvis hoc ante resurrectionem innotuerit Angelis, post resurrectionem tamen innotuit omnibus hominibus, ut Remigius dicit. Tunc autem dicuntur res fieri quando innotescunt, et ideo post resurrectionem dicit Dominus, sibi datam omnem potestatem in celo et in terra.*

*Ad secundum dicendum, quod, licet omnis creatura sit mutabilis ab alia creatura, præter*

<sup>1</sup> Super illud Matt. 28: Data est mihi omnis potestas, tom. 9.

<sup>2</sup> Art. præc., ad 1.

*supremum Angelum, qui tamen potest illuminari ab anima Christi, non tamen immutatio omnis, quæ potest fieri circa creaturam, potest fieri a creatura, sed quædam immutationes possunt fieri per creaturas, possunt etiam fieri per animam Christi, secundum quod est instrumentum Verbi, non autem secundum propriam naturam et virtutem; quia quædam hujusmodi immutationum non pertinent ad animam, neque quantum ad ordinem naturæ, neque quantum ad ordinem gratiæ.*

*Ad tertium dicendum, quod (sicut dictum est in secunda parte 1) gratia virtutum seu miraculorum datur animæ alicujus Sancti, non ut propria virtute ei conveniat miracula facere, sed ut per virtutem divinam hujusmodi miracula fiant. Et hæc quidem gratia excellentissime data est animæ Christi, ut, scilicet, non solum ipse miracula faceret, sed etiam ut hanc gratiam in alios transfunderet. Unde dicitur Matt. 10, quod, convocatis duodecim discipulis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.*

## COMMENTARIUS.

1. Hic articulus differt a præcedenti, solum quia in præcedenti sub omnipotentia comprehenditur ipsum opus creationis, hic vero solum agitur de immutationibus quæ fieri possunt circa creatas res. Deinde in articulo præcedenti agitur de omnipotentia simpliciter, ut includit modum operandi proprium Dei, independentem ab omni causa superiori; hic vero non agitur de omnipotentia hoc modo, sed solum quoad numerum, vel multitudinem effectuum, ut ex discursu D. Thomæ constat aperte.

2. Respondet ergo tribus assertionibus, suppositis duabus distinctionibus quæ in littera claræ sunt, et ex ipsis conclusionibus satis intelligentur. Prima assertio est, animam Christi per se et secundum propriam naturam habuisse virtutem et potentiam ad omnes effectus, qui sunt connaturales animæ humanæ, tam secundum potentiam naturalem, quam secundum gratuitam. In qua conclusione solum est advertendum, D. Thomam in ea loqui de effectibus seu actibus quos anima humana operatur, ut principale principium, in quo ordine imprimis sunt actus vi-

<sup>1</sup> 2. 2, q. 111, art. 1.

iae proprii et connaturales, sive sint actus intellectus, et voluntatis, sive actus sensuum, sive actus qui ad corpus transeunt, ut nutritio et motus localis, etc., de quibus hic præcipue agitur. Et de omnibus est res certa, quia (ut sæpe dictum est) Christus habuit humanam naturam integram et perfectam quoad omnes naturales facultates, et consequenter quoad actiones et effectus earum. Secundo, pertinere possunt ad hunc ordinem, et sub hac conclusione comprehendere actus supernaturales intellectus et voluntatis animæ Christi; ostensum enim in superioribus est actus scientiæ et gratiæ fuisse in anima Christi perfectos, et modo perfecto et connaturali elicitos per internam et proportionatam virtutem; hoc autem sensu dicimus animam Christi habuisse virtutem efficiendi hos actus per modum agentis principalis, ratione habitum gratiæ et scientiæ, a quibus hi actus efficiuntur, quanquam anima per se ipsam et suas potentias non habeat propriam et connaturalem vim ad illos efficiendos. Tertio, ponit D. Thomas in hoc ordine potestatem illuminandi rationales creaturas, quia hæc potestas licet ratione unionis data sit, non tamen est distincta a plenitudine gratiæ, et scientiæ, quæ de se est sufficiens principium hujus effectus. Hæc enim illuminatio (ut ex doctrina de Angelis sumo) solum fit per spiritualem quamdam locutionem, per quam is, qui scientia superior est, inferiorem docet: hæc autem spiritualis locutio fieri potest ab anima Christi ad eum modum, quo actus intellectus et voluntatis efficiuntur; fit enim illa locutio per voluntatem, qua proprii actus, vel conceptus ad alium ordinantur; et quamvis sit locutio illuminans, non tamen per eam necessario fit productio alicujus intellectualis luminis in eo, qui illuminatur, sed si fortasse fit productio aliquarum specierum intelligibilium, hæc fieri potuit ab anima Christi illuminante alios per proprios actus suos, tanquam per objecta actu intelligibilia, quæ propriam sui speciem possunt alteri communicare. Quid si interdum anima Christi ita illuminat angelos, ut lumen aliquod illis infundat, id non facit, nisi ut instrumentum Dei, sicut de aliis supernaturalibus effectibus statim dicemus.

3. *Potestas faciendi miracula in Christo qualis.* — Secunda assertio D. Thomæ est, habuisse animam Christi, ut instrumentum Verbi, virtutem ad omnes immutationes miraculosas quæ ad finem incarnationis ordinari possunt, præter eam qua creaturæ in nihilum re-

digi possunt. Conclusionem non probat D. Thomas, sed ut notam relinquit ex ipso fine incarnationis, supponendo, ut alias probatum est, in 2. 2. hanc potestatem faciendi miracula esse communicabilem creaturæ. Exceptionem vero probat D. Thomas, quia annihilatio respondet creationi, unde sicut potestas creandi repugnat creaturæ, ita et annihilandi. Ex his ergo concludit D. Thomas tertiam assertionem absolute negantem, scilicet, non habere Christum omnipotentiam circa immutationem creaturarum, quam ex assertione secunda probatam relinquit.

4. In solutione ad primum, tractat D. Thomas locum illum Matthæi ult. : *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra.* Et exponit hæc verba intelligenda esse de omnipotentia simpliciter, quæ communicata dicitur homini Christo per communicationem idiomatum, sicut articulo præcedenti exposuerat Ambrosium, Luc. 1, dicentem, accepisse hominem in tempore omnipotentiam quam Filius Dei habet ab æterno; unde consequenter ait illam potestatem datam esse a principio, post resurrectionem vero dici datam esse quoad manifestationem. Quam expositionem indicasse videtur Tertul., lib. contra Praxeam, c. 16, ubi dicit Christum ab initio, seu ab æterno, accepisse potestatem omnem in celo et in terra; et Gregorius Nys., orat. 2, de Resurrect., circa finem : *Quæ naturaliter (inquit) habebat tanquam Deus, hæc dicitur accipere tanquam homo.* Juxta quam expositionem, etiamsi Christus in humanitate nullam specialem potestatem accepisset per ipsam humanitatem exercendam, posset dicere sibi datam esse omnem potestatem in celo et in terra; sicut dicitur Christus, seu hic homo, simpliciter omnipotens, etiamsi omnipotentia simpliciter humanitati communicata non sit. Propter quod non videtur mihi hæc expositio textui consentanea; loquitur enim Christus de singulari quadam et suprema potestate sibi ut homini, seu humanitati suæ tributa, ita ut per ipsam esset exercenda, ratione cujus mittebat Apostolos ad prædicandum omnibus gentibus; non est ergo ibi sermo de omnipotentia simpliciter, sed de excellenti quadam potestate communicabili creaturæ; et ita intelligunt locum illum expositores communiter, Anselmus, Theophyl., Euthym., et D. Thomas in catena, ubi refert Remigium, Rabanum, et Severum. Indicat etiam Cyp., lib. 2 contra Judæos, c. 26; et Athan., oratione quadam contra Arianos, in hoc dictum, *Ex Deo Deus*

## ARTICULUS III:

*Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.*

*Verbum*, non longe a principio; et optime Gregor Nys., lib. de Cognitione Dei, cap. Ex Daniele, habetur tom. 1 Bibliot. sanct.; et S. Vigilus, l. 5 contra Eutych., colum. 7. Existimo tamen ibi non esse præcipue sermonem de potestate faciendi miracula, de qua nunc agimus; hæc enim et antea data erat, et satis fuerat hominibus nota, sed potestate dominandi et imperandi omnibus creaturis, et regendi omnes homines suprema quadam Pontificali et regia potestate excellentiæ; de qua infra, q. 22, dicturi sumus, ut egregie exposuit Vigil., citato loco; ad hanc enim potestatem pertinet actus ille quem Christus statim exercuit, dicens : *Euntes ergo, docete omnes gentes.* Dixit autem Christus, post resurrectionem datam sibi esse hanc potestatem, vel quia tunc cœpit innotescere hominibus quod jam erat notum Angelis, ut Remigius supra dicit, vel, ut addit Anselmus, quia ex tunc videtur Christus et imperandi et dominandi statum accepisse, antea enim fuerat in statu passibili, paulo ab Angelis minoratus; vel denique quia tunc accepit plenum et expeditum usum hujus potestatis; nam, licet antea haberet illam veluti quoad proprietatem ratione unionis, non tamen quoad plenam possessionem et usum, ratione status viatoris.

5. In solutione vero ad tertium, notandum est quod D. Thomas dicit, non tantum accepisse Christum potestatem faciendi miracula ut ea uti posset, sed etiam ut eam posset aliis communicare, juxta illud Matth. 10, et Luc. 10 : *Ecce ego mitto vos*; et infra : *Curate infirmos*; et infra : *Etiam demonia subjiciuntur vobis*; et infra : *Ecce dedi vobis potestatem*, etc.; et Matth. 16 : *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur*, etc. Et huc pertinet, quod Christus dedit aliis potestatem consecrandi, remittendi peccata, etc. Tota enim hæc excellentia debetur dignitati Christi et meritis ejus, et pertinuit ad eam quam Theologi vocant *potestatem excellentiæ*, qua potuit instituere sacramenta evangelica, et ordinare perfectos sacerdotes, et creare Apostolos, et prædicatores Evangelicos, convenienti virtute et potestate instructos ad fidem confirmandam.

1. *Ad tertium sic proceditur. Videtur quod anima Christi habuit omnipotentiam respectu proprii corporis. Dicit Damasc., in 3 lib.<sup>1</sup>, quod omnia naturalia fuerunt Christo voluntaria; volens enim esurivit, volens sitivit, volens timuit, volens mortuus est, etc. Sed ex hoc Deus dicitur omnipotens, quia omnia, quæcumque voluit, fecit. Ergo videtur quod anima Christi habuerit omnipotentiam respectu naturalium operationum proprii corporis.*

2. *Præterea, in Christo fuit perfectius humana natura quam in Adam, in quo, secundum originalem justitiam quam habuit in innocentie statu, corpus habebat omnino subjectum animæ, ut nihil in corpore posset accidere contra animæ voluntatem. Ergo multo magis anima Christi habuit omnipotentiam respectu sui corporis.*

3. *Præterea, ad imaginationem animæ naturaliter corpus immutatur, et tanto magis quanto magis anima fuerit fortis imaginationis, ut in 1 parte habitum est. Sed anima Christi habuit virtutem perfectissimam, et quantum ad imaginationem, et quantum ad alias vires. Ergo anima Christi fuit omnipotens in respectu ad corpus proprium.*

*Sed contra est quod dicitur Heb. 2, quod debuit per omnia fratribus assimilari, et præcipue in his quæ pertinent ad conditionem naturæ humanæ. Sed ad conditionem humanæ naturæ pertinet, quod valetudo corporis, et ejus nutritio, et augmentum, imperio rationis seu voluntatis non subdantur; quia naturalia soli Deo, qui est auctor naturæ, subdantur. Ergo nec in Christo subdebantur. Non igitur anima Christi fuit omnipotens respectu proprii corporis.*

*Respondeo dicendum quod, sicut dictum est<sup>2</sup>, anima Christi potest dupliciter considerari. Uno modo, secundum propriam naturam et virtutem. Et hoc modo, sicut non poterat immutare exteriora corpora a cursu et ordine naturæ, ita etiam non poterat immutare proprium corpus a naturali dispositione; quia anima Christi secundum propriam naturam habet determinatam proportionem ad suum*

<sup>1</sup> Orthod. fid., c. 20 et 23.

<sup>2</sup> Art præc.

corpus. Alio modo potest considerari anima Christi, secundum quod est instrumentum unitum Verbo Dei in persona. Et sic subdebatur ejus potestati totaliter omnis dispositio proprii corporis. Quia tamen virtus actionis non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti, talis omnipotentia magis attribuitur ipsi Verbo Dei, quam animæ Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Damasc. <sup>1</sup> est intelligendum, quantum ad voluntatem Christi divinam, quia, sicut ipse in præced. cap. <sup>2</sup> dicit, beneplacito divinæ voluntatis permissibatur carni pati, et operari quæ propria.

Ad secundum dicendum, quod non pertinebat hoc ad originalem justitiam quam Adam habuit in statu innocentie, quod anima hominis haberet virtutem transmutandi proprium corpus in quamcumque formam, sed quod posset ipsum conservare absque omni nocumento. Et hanc etiam virtutem Christus assumere potuisset, si voluisset. Sed cum sint tres status hominum, scilicet, innocentie, culpæ, et gloriæ, sicut de statu gloriæ assumpsit comprehensionem, et de statu innocentie immunitatem a peccato, ita et de statu culpæ assumpsit necessitatem subiacendi penalitatibus hujus vitæ, ut infra <sup>3</sup> dicitur.

Ad tertium dicendum, quod imaginationi, si fuerit fortis, naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua; puta, quantum ad casum de trabe in alto posita, quia imaginatio nata est esse principium motus localis, ut dicitur 3 de Anima <sup>4</sup>. Similiter etiam quantum ad alterationem, quæ est secundum calorem, et frigus, et alia consequentia, eo quod ex imaginatione consequenter natæ sunt consequi animæ passiones, secundum quas movetur cor, et sic per commotionem spirituum, totum corpus alteratur. Aliæ vero dispositiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcumque sit fortis, puta, figura manus, vel pedis, vel aliquid simile.

#### COMMENTARIUS.

Doctrina hujus articuli eadem est cum doctrina articuli præcedentis; solum, quod ibi generatim dictum est, hic ad ipsum corpus

<sup>1</sup> Citatum in arg.

<sup>2</sup> Lib. 3, c. 15 a med., et cap. 14.

<sup>3</sup> Quæst. 14, a. 2.

<sup>4</sup> Text. 48 et seq., tom. 2.

Christi applicatur. Et hoc sensu docet D. Thomas animam Christi propria naturali virtute non habuisse omnipotentiam circa corpus proprium; tamen, ut instrumentum Verbi, habuisse in sua potestate omnium dispositionem, et proprii corporis immutationem.

#### ARTICULUS IV.

Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod anima Christi non habuerit omnipotentiam respectu executionis propriæ voluntatis. Dicitur enim, Marci 7, quod ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere. Non ergo potuit in omnibus exequi propositum suæ voluntatis.

2. Præterea, præceptum est signum voluntatis, ut in prima parte dictum est <sup>1</sup>. Sed Dominus quædam facienda præcepit, quorum contraria acciderunt; dicitur enim, Matt. 9, quod cæcis illuminatis comminatus est Jesus, dicens: Videte ne quis sciat; illi autem exeuntes, diffamaverunt illum per totam terram illam. Non ergo in omnibus potuit exequi propositum suæ voluntatis.

3. Præterea, id quod potest aliquis facere, non petit ab alio. Sed Dominus petiit a Patre, orando illud quod fieri volebat; dicitur enim Luc. 9, quod exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Ergo non potuit exequi in omnibus propositum suæ voluntatis.

Sed contra est quod dicit Augustinus, in lib. de Quæstionibus Veteris et Novi Testamenti <sup>2</sup>: Impossibile est ut Salvatoris voluntas non impleatur, nec potest velle quod scit fieri non debere.

Respondeo dicendum, quod anima Christi dupliciter aliquid voluit. Uno modo, quasi per se implendum. Et sic dicendum est quod quicquid voluit, potuit; non enim conveniret sapientiæ ejus ut aliquid vellet per se facere, quod suæ virtuti non subjaceret. Alio modo voluit aliquid ut implendum virtute divina, sicut resurrectionem proprii corporis, et alia hujusmodi miraculosa opera. Quæ quidem non poterat propria virtute, sed secundum quod erat instrumentum divinitatis, ut dictum est <sup>3</sup>.

<sup>1</sup> 1 p., q. 19, art. 12.

<sup>2</sup> Qui incipit: Deus quidem perfectus est, q. 77, in princ., tom. 4.

<sup>3</sup> Art. 2 hujus quæst.

#### DISPUTATIO XXXI,

In octo sectiones distributa.

DE GRATIA, SEU POTESTATE ANIMÆ CHRISTI DATA AD MIRACULA VEL SUPERNATURALIA OPERA FACIENDA.

In hac disputatione nihil de facultatibus naturalibus animæ Christi dicendum est, est enim res et per se clara, et satis in superioribus tractata; agendum ergo est solum de supernaturali potestate ad supernaturales actiones; et quia de actibus vitalibus supernaturalibus, et de illuminatione quæ per illos fieri potest, in superioribus etiam satis dictum est, nihil de eis hoc loco dicemus; sed solum de aliis miraculosis actionibus, et de virtute ad illas efficiendas, ad quam pertinent illæ duæ gratiæ gratis datæ, quarum disputationem supra huc remisimus, scilicet, gratia sanitatum, et operatio virtutum. Quoniam vero actiones supernaturales et miraculosæ complures sunt, quarum præcipua esse videntur animarum justificatio, seu gratiæ productio, non oportebit de singulis earum dicere, sed in communi res disputanda est; et si quid in particulari dicere oportebit, id frequentius explicabimus in gratiæ productione, nisi alicubi alia occurrerit specialis difficultas.

#### SECTIO I.

Utrum omnipotentia Dei tota sit humanitati assumptæ communicata.

1. Hoc loco referri posset error hæreticorum hujus temporis, qui dicunt, per unionem hypostaticam factum esse ut attributa divinæ naturæ vere ac secundum se humanæ fuerint communicata, ita ut non solum per communicationem idiomatum Christus sit omnipotens, sed etiam ipsa humanitas, et cum reduplicatione Christus in quantum homo. Sed hic error re ipsa coincidit cum errore Eutychetis, et simul cum illo satis explosus est, et iterum impugnabitur inferius, cum generatim de communicatione idiomatum agemus.

2. Dico ergo primo, omnipotentiam Dei simpliciter, et secundum totam perfectionem suam, nec fuisse communicatam, nec potuisse communicari Christi humanitati, atque adeo Christum ut hominem non fuisse omnipotentem. Ita, præter D. Thomam hic, docent Theologi cum Magistro, in 3, d. 14; Bo-

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in lib. de Quæst. Veteris et Novi Testam. <sup>1</sup>: Quod factum est, hoc voluisse dicendum est Christus. Advertendum est enim, quod illud in finibus gestum est Gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat; ultro tamen venientes ad fidem non suscipere, invidiæ erat. A suis ergo noluit prædicari, requiri autem se voluit, et ita factum est. Vel potest dici quod hæc voluntas Christi non fuit de eo quod per eam fiendum erat, sed de eo quod erat fiendum per alios, quod non subiacebat humanæ voluntati ipsius. Unde in Epist. Agathonis Papæ, quæ est recepta in 6 Syn. <sup>2</sup>, legitur: Ergone ille omnium Conditor ac Redemptor, in terris latere volens non potuit, nisi hoc ad humanam ejus voluntatem, quam temporaliter est dignatus assumere, redigatur?

Ad secundum dicendum, quod, sicut Gregorius dicit, 19 Moralium <sup>3</sup>, per hoc quod Dominus præcepit, taceri virtutes suas, servis suis sequentibus exemplum dedit, ut ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, et tamen, ut alii eorum exemplo proficiant, prodantur inviti. Sic ergo præceptum illud designabat voluntatem ipsius, qui humanam gloriam refugiebat, secundum illud Joan. 8: Ego gloriam meam non quero; volebat tamen absolute, præsertim secundum divinam voluntatem, ut publicaretur miraculum factum, propter aliorum utilitatem.

Ad tertium dicendum, quod Christus orabat et pro his quæ virtute divina fienda erant, et pro his etiam quæ humana voluntate erat factururus, quia virtus et operatio animæ Christi dependebant a Deo, qui operatur in nobis velle et perficere, ut dicitur Philip. 2.

#### COMMENTARIUS.

Doctrina hujus articuli difficilis est, pendet tamen ex iis quæ, 18 q., de voluntate Christi ac ejus actibus dicenda sunt.

<sup>1</sup> Lib. et c. citatis in argum. Sed contr.

<sup>2</sup> Recepta est in 8 act., 6 Synod. gener., Constant III, et lecta fuit in act. 4.

<sup>3</sup> Cap. 18, post medium.